



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

II. De generatione corporis mixti propria, siue de mixtione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

ubi legitur, quasi phoenix: quoniam enim palmam græcè sonat. Et sane ut suspectum hoc sit, facit incredibilis Authorum varietas, qui de illo agunt: v.g. tribuntur illi aui à Plinio lib. 16. cap. 2. anni vitæ sexcenti sexaginta: à Martiali anni mille, Melastribuit lib. 3. annos quingentos: Solinus cap. 46. annos quingentos quadraginta. Ex Patribus Clemens Romanus lib. 5. constitutionum, c. 6. ait phœnicem vivere in Arabia, & quingentesimo anno ad solis aram euolare, & ibi extructo busto odorato, ad orientem solem conuerti, atque comburi. Ambrosius ait illum thecam ex aromatica materia factam parare in Æthiopia, & vehere in Lycaniam, vel tumultum corporis, vel incunabulum resurgentis, in quo deficiens occidit, & occidens resurgit. Author epistolæ ad Præsidium, inter epistolas Hieronymi, narrat samentis à Sacerdote Heliopolitano paratis phœnicem imponere electrum & aromata, & solis ardore incendi electrum, & sic exuri aromata. Ait Epiphanius in ardentem nidum diuina dispensatione immitti nubem, quæ soluatur in pluuiam, & flammam extinguat, quæ phœnix consumitur; eâ extinctâ restare carnis reliquias, & quibus postridiè gignatur vermis. In hac tanta sententiarum varietate difficile est de veritate non dubitare. Si autem fabula illa non est, certè non resurgit idem qui prius erat phœnix, sed priori similis.

Conclusio
secunda.

Dico secundò, posse per diuinam virtutem corrupta quælibet reproduci, siue permanentia illa fuerint, siue successiua. Negant permanentia præter hominem posse reparari Durandus & Marfilus: de successiuis quibuslibet negant Thomista.

Ratio tamen generalis est, quia nec ex parte Dei reproducentis, nec ex parte creaturæ reproducendæ implicat ea reproductio; res enim postquam est corrupta, non minùs intra Dei potentiam manet, quàm antequam crearetur ex nihilo; & res postquam est corrupta, non habet maiorem repugnantiam ad esse quàm antequam exiret è nihilo. Accedit etiam mortuorum resurrectio, quam docet fides; ab ea enim ad aliarum quarumlibet rerum reproductiōem firma est argumentatio.

Tertia.

Dico terriò, productionem rei semel corruptæ supernaturalem non esse secundum substantiam, sed secundum modum extrinsecum.

Ratio est, quia supernaturale secundum substantiam, dixi 2. *Physicorum*, esse illud quod habet entitatem debitam cuiusque subiecto: huiusmodi sunt gratia habitualis, actus fidei ac charitatis. Supernaturale secundum modum intrinsecum est illud, cuius entitati naturali superadditur modus aliquis indebitus cuiusque subiecto: huiusmodi est modus præsentis, quem habet Christi Corpus in Sacramento. Supernaturale secundum substantiam est illud, quod licet purè sit naturale, aliquo tamen modo fit, qui nulli subiecto potest esse debitus, ut cum restituitur visus solo imperio, naturalis est ille oculus; sed modus ille restituendi sine vllis dispositionibus, & sola voce imperantis, non est naturæ debitus. Reproductio rei corruptæ non est primo modo supernaturalis, sed tantum vltimo; nulla enim entitas supponitur produci, quæ non sit naturalis; sed indebito tamen modo fit, quia infringit naturæ statas leges, quia sine prauis dispositionibus peragitur; imò cum dispositionibus sepe contrariis, quia subito, quia per imperium, in actu scilicet oculi: & in

A tuba Dei mortuorum fiet resurrectio, quæ propereà plena erit miraculis.

Obicitur primò. Vbi est duplex duratio, ibi duplex est existentia, atque adeò duplex essentia: res reproducta duplicem habet durationem: ergo duplicem habet existentiam, & essentiam, & sic eadem non est. Imò ad unitatem motus requiritur continuitas: motus reproductus non haberet continuitatem, cum esset interruptus: ergo non esset vnus motus. Denique res successiua non potest permanere in esse, alioqui successiua esset & non esset: si autem Deus millies reproduceret eundem quadrantem, ille per mensem duraret & conseruaretur: ergo non potest quadrans reproduci.

B Resp. distinguendo primam maiorem. Vbi est duplex duratio intrinseca, ibi duplex est existentia, concedo; vbi duplex tantum est duratio extrinseca, ibi duplex est existentia, nego. Res quæ reproduceretur, vnica haberet durationem intrinsecam, quæ duplici corresponderet durationi extrinsecæ. Verum est quod ad unitatem motus requiritur continuitas inter partes motus; ille autem motus qui per corruptionem deflisset, esset tamen continuus, quia inter eius partes facta non fuisset interruptio. Verum etiam est rem successiuam non posse totam simul conseruari, sed posse successiue conseruari. Quadrans ille qui duraret per mensem, successiue tamen duraret, neque conseruaretur totus simul, sed semper vna reproductio sequeretur alteram.

C Obicitur secundò. Facere non potest Deus ut prateritum non sit prateritum: sed si motus prateritus reproduceretur, prateritum non esset prateritum; quod enim actu existit, non est prateritum, sed præsens. Deinde facere non potest Deus ut qui natus est ante annos centum, neque mortuus est, vixerit tantum vno quadrante: potuisset autem vivere tantum vno quadrante, si quadrans ille sapius esset reproductus. Denique facere Deus non potest ut hesternus dies, & hodiernus non sint duo dies: ergo dies hesternus non potest esse hodie.

D Resp. posse aliquid esse prateritum ratione primæ productionis, & præsens ratione reproductiōis, in quo non est contradictio. Si sapius idem quadrans reproductus fuisset, vivere potuisset homo annis centum temporis imaginarij, & vno tantum quadrante temporis realis, sed sapius productus. Deus facere non potest ut dies hesternus, qui fuit; & hodiernus, qui nunc est, non sint duo dies; potest autem facere ut dies hesternus adhuc sit hodie; & sic facit ut dies hesternus & hodiernus non sint nisi vnus dies bis productus, sicut quantitas palmaris reproducta potest coexistere duobus palmis.

E

QVÆSTIO II.

De generatione corporis mixti propria, siue de mixtione.

Dixi vniuersim de generatione substantiali, nunc generatio propria mixti (quam vocant communiter mixtionem) tria continet. Primò de mixtione propriè dicta. Secundò de mixtione impropria. Terriò de putrefactione corporis mixti.

SECTIO

SECTIO I.

Mixtionis propria dicta existentia, quidditas, & principia.

ANte omnia supponendum est, mixtionem aliam esse propriam, & substantialem; aliam impropriam. Propria dicitur ea in qua producitur noua forma substantialis ex elementis. Improperia illa in qua non fit noua vlla forma substantialis, sed noua tantum iuxtapositio plurium substantiarum. De hac posteriori dicitur sequenti sectione: de priori mihi nunc sermo est.

S. I.

Existentia mixtionis substantialis.

NEgarunt mixtionem proprie dictam quidam veteribus Philosophis, reiecti ab Aristotele lib. 1. cap. 10. quorum sententiam video placere quibusdam Recentioribus; ij enim nullam aliam mixtionem admitti debere putant nisi confusio- nem quandam minutarum substantiarum; sicut cum aqua miscetur vino, cum duae cere lique- sunt simul, cum aurum simul funditur cum ar- gento; ubi mixtio non est nisi motus localis.

Conclusio
affirmatiua.

Dico primò, dari veram mixtionem substantia- lem, in qua ex pluribus misce bilibus fiat vnum tertium ab illis diuersum, quod reuera sit vnum per se. Ita censent omnes discipuli Aristotelis, & verè Philosophiae amatores.

Ratio enim est, quia vt detur vera mixtio, quae non sit solum combinatio minutarum partium, duo requiruntur. Primum est vt in corpore mixto aliqua detur forma substantialis realiter distincta ab elementis. Secundum vt illa producat in ma- teria ipsa elementorum, siue maneat forma ipse elementorum, siue non maneat, de quo postea dicetur. Sed in corpore mixto datur forma sub- stantialis diuersa realiter ab elementis; & illa producitur in materia ipsorum elementorum: er- go datur mixtio propria & substantialis, quae non sit solum temperatio & combinatio particularum elementarium. Maior certa est; nam nomine pro- priae mixtionis, quam negant noui Philosophi, non aliud intelligitur quam productio nouae for- mae in materia elementorum; volunt siquidem isti sola in mundo esse quatuor elementa, quae sint simplices substantiae ingenerabiles & incor- ruptibiles; alia verò omnia ex illis ita fieri, vt so- la minimarum partium combinatione ac attem- peratione fiant omnia: excipiunt autem ho- minem, in quo animam rationalem non audent negare.

Primam ergo partem minoris, quod nimirum in pluribus mixtis detur forma substantialis reali- ter diuersa ab elementis, probant demonstratiue argumenta omnia, quibus probabam quaest. 1. dari formas substantiales, propter diuersitatem speci- ficam corporum, & propter proprietatum emanationem. Sic autem iterum arguo. Tam datur in equo forma viuens distincta ab elementis, quam datur in homine forma viuens: sed in homine datur huiusmodi forma viuens: ergo datur etiam in equo & reliquis animalibus forma viuens di- stincta ab elementis. Probat maior. Ideò datur in homine forma viuens distincta ab elementis, quia dantur in homine operationes vitales, non solum rationales, sed etiam sensitiuae ac vegetati-

Auæ; nam anima rationalis est etiam sensitiua & vegetatiua: sed in aliis animalibus dantur opera- tiones vitales sensitiuae ac vegetatiuae: ergo in il- lis est forma viuens distincta ab elementis. Maior certa est; nam anima hominis non est tantum in- tellectiua, sed etiam sentiens est, & vegetatiua; alioqui hominis anima non videret, non audiret, non nutrirer: ergo si homo eget forma viuente distincta substantialiter ab elementis, vt sentiat & vegetet, alia etiam animalia egent huiusmodi anima. Neque hoc sola potest efficere mixtio ele- mentorum; si enim illud efficit in leone corpus- culorum commixtio, certè poterit etiam efficere idem in homine, Quae argumentatio videtur esse perspicua demonstratio.

B Deinde leo tam specificè differt à lapide, quam homo; nam in leone tam sunt diuersae propieta- tes à proprietatibus lapidis, quam sunt in ho- mine: sed homo differt à lapide per formam di- uersam ab elementis: ergo etiam leo differt. Quis autem non rideat hanc Philosophiam, quae tan- tam hanc & tam mirabilem animalium, planta- rum, metallorum varietatem suadeat non esse aliud quam earundem particularum substantia- lium variam configurationem & commixtionem? Imò instari potest: Ignis, aqua, terra, & aer dif- ferunt specie inter se, quia diuersas habent pro- prietates: sed leo habet proprietates quas nec ha- bet ignis, nec aqua, nec aer, nec terra: ergo differt substantialiter ab illis etiam simul sumptis. Dicere autem quod omnes animae animalium & plantarum non sunt nisi diuersa configuratio, combinatio & ordo ignis, aquae, aeris & terrae, neque vllam esse substantiam, sed nec qualitatem in vno, quae non sit in altero, est dicere noua & varia.

Altera pars primae minoris, quae erat, formas has nouas produci in materia elementorum, pro- batur; quia possunt elementa conuenire in locum aliquem, & se mutuo alterare ac redu- cere in eam temperiem, quae corpori mixto con- uenit: v.g. in locis subterraneis terra est, & aqua; crassior quoque aer cum igneis exhalationibus, ex quibus alteratis existere potest lapis aut metal- lum. In secunda quoque regione aeris aer est, va- pores aquei, exhalationes terrae, plurimi quoque saepe ignes, vt ostendunt fulgura & fulmina: er- go ex his contemperatis mixtum substantiale confici potest. Denique mixta resoluuntur in ele- menta: ergo etiam ex iis constant.

Obiicitur primò, mixtionem hanc substantia- lem esse veram creationem, quia tunc est vera creatio, quando aliquid fit ex nihilo: sed forma haec mixti tam fiet ex nihilo, quam anima ra- tionalis; actio enim qua fit forma materialis, non magis dependet à subiecto quam actio qua fit ani- ma rationalis; non enim dicitur dependere à sub- iecto, nisi quia in eo recipitur; creatio autem animae aequè recipitur in materia: ergo forma ma- terialis aequè creatur ac anima. Deinde nihil fieri potest ex aliquo à quo realiter distinguitur; id enim ex quo aliquid fit, est aliquid eius quod fit: sed forma mixti est distincta realiter à materia: er- go non fit ex materia.

Resp. saepe dictum esse, quodeductio & gene- ratio formae materialis distinguitur à creatione animae rationalis, quòd deductio ita recipiatur in subiecto, vt existere sine illo nequeant; creatio animae ita in subiecto recipiatur, vt possit existere sine illo. Cum autem aiunt nihil produci ex ea materia, quae non est aliquid eius, falsum est, si loquantur

loquantur de eo quod fit vt pars totius; verum si loquantur de eo quod fit vt totum: subiectum enim ex quo fit terminus formalis, compars eius est, non pars.

Secunda.

Obiicitur secundò. Non aliter fit mixtio substantialis cum sunt mixta, quam cum aqua miscetur vino, vel cum ex lapide ac sale fit crystallum, vel cum ex auro & argento fit massa vna: sed in istis non fit mutatio vlla nouæ formæ, sed tantum combinatio & confusio partium: ergo in mixtis etiam non producitur noua forma.

Resp. negando maiorem; nam in iis mixtionibus imperfectis non existit aliquid specie diuersum à miscibilibus; & non sunt vllæ proprietates in mixto, quæ non sint in miscibilibus: contrarium autem probatum est de vera mixtione.

Tertia.

Obiicitur tertio. Omnis mixtio debet esse actio naturalis; si autem ex elementis fiat, non erit actio naturalis, sed violenta; elementa enim conuenire non possunt in vnum locum sine violentia.

Resp. mixtionem ita esse actionem naturalem, vt tamen exigat dispositiones aliquas præuias violentas.

S. II.

Definitio propria mixtionis, & eius principia.

Conclusio
secunda.

Dico secundò, mixtionem rectè definiri ab Aristotele, *unionem miscibilium alteratorum*.

Primò enim nomine vnionis significatur actio substantialis, quæ elementa vnuntur substantialiter in vnum numero mixtum productum de nouo; ita vt cum prius miscibilia essent plura, & diuersa, tum numero, tum specie, redigantur in vnum numero essentiam.

Secundò dicitur, *vnio miscibilium alteratorum*; idest, elementorum quæ concurrant tum actiue, tum subiectiue ad mixtionem; priusque alterantur quam fiat ex illis mixtum. Sic enim à simplici generatione differt mixtio: nam omnis generatio vnio est, sed non miscibilium alteratorum. Bona igitur est definitio, quæ sufficienter distinguitur mixtio ab alteratione, in qua sola producitur qualitas; & à generatione simplici, quæ non connotat elementa miscibilia; & demum ab impropria mixtione, in qua nihil producitur substantiale.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Si mixtio est vnio, mixtum quod est concretum mixtionis erit vnitum: sed mixtum non est vnitum; nihil enim vnitum est sibi ipsi; elementa videlicet in mixto vnita sunt, sed mixtum non est vnitum: ergo mixtio non rectè definitur *vnio*.

Resp. mixtum esse reuerà vnitum, licet magis propriè dicatur vnum. Cum autem dicitur vnitum, non intelligitur illud esse vnitum alteri, aut sibi etiam ipsi: sed significatur elementa in ipso vniri, & fieri vnum per se.

Obiicitur secundò, multa generari ex aliis mixtis, vt apes ex boum cadaveribus; tunc autem mixtio non est vnio elementorum.

Resp. tunc cum mixtum generatur ex alio mixto, veram etiam fieri mixtionem, cum resultet ex huiusmodi actione mixtum; tunc enim illa est vnio elementorum contentorum virtualiter in eo mixto.

Conclusio
tertia.

Dico tertio, ad veram mixtionem non requiri vt elementa quatuor ad eam secundum suas con-

currant substantias, sed satis omnino esse, vt per suas concurrant virtutes. Neque sunt causæ principales formæ mixti, quæ perfectior est elementis: quænam verò sit causa principalis, patet ex dictis 2. *Physicorum*, vbi disputatum est de genitis ex putri.

SECTIO II.

Quid & quotuplex, & quomodo fiat mixtio impropria.

Dico primò, mixtionem impropriam vocari *Conclusio prima.*
eam, in qua per se loquendo non producitur noua forma substantialis, sed tantum accidentalis. Duplex illa est, *coactio*, & *crasis*. Coactio dicitur quoties corpora minuta, non tamen fluida, miscentur; vt quoties miscentur grana hordei granis tritici. Per illam mixtionem non fit nisi vnum per accidens, neque singula partes mixti sunt mixtæ; nam hic est tantum motus localis & iuxtapositio, vt patet. Crasis fit quando duo corpora liquida & rara ita permiscentur, vt vnum ab altero diuidatur in partes tenuissimas, quæ licet singula retineant priorem formam substantialem, aliæ tamen ab aliis temperantur per mutuam alterationem.

Dico secundò, in mixtione liquidorum non fieri semper mutationem substantialem, sed illam tamen aliquando fieri. Si enim v. g. vino miscetur vinum, clarum est nullam fieri mutationem substantiarum. Si autem plurimæ aquæ miscetur modicum vinum, vinum sine dubio in aquam conuertitur, quæ vim habet sufficientem ad destruendum formam vini. Si autem duo miscantur liquores in eadem quantitate, ita vt vnus alteret alium, poterit gigni tertius liquor specie diuersus.

Vtrum verò aqua modicissima plurimo mixta vino, conuertatur substantialiter in vinum, celebris est controuersia, propter consecrationem Calicis in Missæ sacrificio, de qua disputabam eo loco accuratè.

Supererit de putrefactione corporis mixti dicere, quæ illius dissolutio est, quoties calidum externum intendens internum calorem eius, internum euaporat humidum, quod subiectum est caloris interni, & eius vehiculum. Sed nihil hic video magnoperè difficile, ac philosophico dignum examine.

DISPUTATIO III.

Ordine XII.

Natura, & proprietates corporis mixti.



Intellecta mixtione, de qua dixi hætenus, facilius erit corporis mixti consideratio, quod rectè definitur, *corpus constans ex elementis*: vnde de illo duo possunt disputari. Primò de ipsis elementis, prout sunt miscibilia. Secundò de compositione mixti ex elementis, & de reliquis eius affectionibus.

QVÆSTIO